



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Isagoge Ad Amorem Divinvm

**Pennequin, Pierre**

**Antverpiae, 1661**

§. 1. Toleranda ingeniorum diversitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)





apparens suavit, ne migraret, sed ex Præfulis aulteritate victoriarum, & excellentioris in cælo coronæ materiam caperet. Acquievit juvenis cognominis sui Patroni consilio & virtutibus meritisque auctior post aliquot annos ipso S. Joanni Baptistæ sacro die migravit in cælum. Christum ipsum tibi suavitorem adducam, qui rogatus à S. Gertrude, cur tam molestam Abbatissam & suis moribus toti monasterio onerosam præfecisset: respondit; ut quasdam Sanctimonialia, quas amabat, hac occasione ad robustas obedientiæ & patientiæ virtutes eveheret. Adducam & S. Ignatium, qui fratri coadjutori aliorum consuetudinem fugienti, quod ad iram facile concitaretur, suavit, ut potius aliorum confortium quæreret, ubi frequentem se vincendi materiam haberet; virtutes enim mansuetudinis, patientiæ, & fraternæ charitatis sine dimicatione non acquiri: ad sanitatem corporis tuendam duo requirebat Democritus, mel intus, & oleum foris, hoc est animi tranquillitatem, & palæstricam corporis exercitationem, quando athletæ oleo delibuti, hoc unum spectabant, ut luctando, adversariumque prosternendo superiores evaderent: quod ille ad corporis vires augendas, ego cum Aristotele, ad virtutem eximiam

comparandam requiro. Duos virtutis hostes præcipuos dicit esse Philosophus, nimiam quandam naturæ nostræ ad voluptatem propensionem, & difficultatis sese offerentis horrorem & fugam. Priori resistendum, cum posteriori decertandum usque dum vincas.

Senecæ aliquando amicus hanc quæstiunculam moverat: Quantum proficiam? & respondit: Quantum tentaveris; sive quantum tibi vim intuleris.

Itaque ut ad praxim veniamus, fortè meritò tibi suadere possem, ut cum Alexandrina Matrone feminam aliquam cum tuo humore valde pugnantem, aut famulum agrestem, & ad imperia durum jussaque exequenda parum idoneum in domum duceres, atque hac in parte non tam S. Catharinam Senensem, quæ quid simile fecit, quàm B. Ilidorum, qui omnes, alijs ob morum in-  
5. Factum S. Ilidori laudabile  
 temperantiam parum gratos, admittere ad suum contubernium, non tã ut eos tolerando, se vinceret, quàm ut illi ejus mansuetudine, & charitate vincerentur, & meliores evaderent; quod ferè semper assequabatur.

Habes fortassis in familia famulum aliquem tuis moribus parum consentaneum, nō vides in illo vitia, quæ gravem censuram merentur, sed quidquid sit, ob nescio quam

*Jordanis de Saxonia. 4 c. 2.*

*Et Chri- sto.*

*Et S. Ignatio.*

*Apud Laertium.*

*4. Ethic. 4. Duo virtutis hostes, propensio ad*



quam parum consentientem cum tuo genio agendi modum eum benignis oculis non aspicias, & primâ occasione domo emittere destinas: si te amas, rogo ne feceris: ne in eandem cum Timotheo Anachoreta calamitatem incidas: hic Abbati de fratre aliquo negligente querelas deponenti, & quid de illo faceret sciscitanti, consilium dedit, expelleret illum è cœnobio. quod factum est: sed ecce gravis Timotheum invadit tentatio, mens illi in tenebris, animus in mœrore, propemodum in desperatione: clamat ille, & lacrymis resperfus expansis ad cælum manibus ingeminat, Domine miserere mei: tum vox de cælo, quia durus fuisti in fratrem, eumque afflictionis suæ tempore despexisti, atque abigi voluisti; ideo etiam durum contra te cælum experiris. Ne ergo hunc famulum parum tibi gratum amandes, sed potiùs eum tibi à Deo donatum, ut virtutis exercendæ palæstram, ac victoriarum materiam aspice, & fac modò, quod quidem durum, sed postea fecisse semper voles. Ex antiquis illis eremi incolis Senex tranquillæ mentis, & virtutis reconditæ, passus erat per annos complures furem monachum, qui rapiebat clam, quæ habebat in cella: videbat hoc Senex, nec tamen hominem objurgabat; sed dicebat sibi: Credo

quòd opus habet; majoremque ipse laborem propterea, & abtinentiam à se exigebat: morti proximis, cum adessent fratres, conjecisset in furem oculis, rogavit ut propiùs accederet; apprehendensque manus ejus, & exosculans, dixit: Gratias ago istis manibus, frater, quia illæ mihi cælum aperient: ille verò ad hæc verba compunctus, virtutis studium repente, & animosè ingressus inter præstantiores monachos habitus est.

Neque mihi dixeris famulum, quem à te amari volo, præter cupiditatem & rusticitatem, ingratum præterea & beneficiorum immemorem prorsus esse ac propterea omni benevolentiæ & amore indignum: non enim arbitror te aliud in illo spectare, quam Christum, cujus imago est, quem suo loco tibi amandum ipse substituit, tantoque amorem tuum Christo gratiorè futurum, quanto minus in famuli indole & moribus reperis amabilitatis. Vide hujus rei egregiù in Eulogij Alexandrini facinore testimonium, Magni Sancti Antonij calculo probatum; rem fusiùs à Cronio S. Antonij interprete narratam compendio refero. Eulogius sæcularibus literis eruditus, immortalitatis amore rebus in pios usus divenditis, quantum honestæ sustentationi necessarium videbatur, sibi reservarat, quam

7.  
Etiam ingrati paterer, quia Dei imaginem.

8.  
Eulogij exemplo.

Q993 etiam



etiam cum infirmo aliquo, quem domi aleret, partiri cogitabat: opportunè ergo reperit in platea mendicum membris captum, elephantiasi laborantem, quem volentem, & latantem jumento impositum domum devexit, pedes lavit, lectulum stravit, cibum paravit, & in os ingessit, omniaque charitatis officia tanto affectu benevolentiaque exhibuit, ac si in illo Christum præsentem habuisset. Processit res bene annos quindecim, hinc humanitate & obsequiis, illinc gratiarum actione, & beneficij deprædicatione certantibus: sed ecce Dæmon constantiæ, perseverantiæque palmam infringere adorsus, ægroti animum utpote debiliorem invadit, odium, & quasdam furoris & insanæ faces contra Eulogium accendit, obsequia repudiat, verborum suavitate pro convitiis habet, omnia fastidire, abjicere, & perhorrescere; denique velle ut in plateam reiectus pristino loco restituatur. Eulogius contra omni industriâ placare hominem, alios ad eum deliniendum adducere, omnem diligentiam & assiduitatem in eo juvando polliceri: sed frustra, jam cor hominis Dæmon pervicaciâ obsederat, & omnia remedia respuebat, donec de fratrum consilio ægrum navissimum secum ad Magnum Antonium adduxit, qui divinitus e-

doctus, cum coram magna hominum turba, quæ consilij petendi causâ advenerat, Eulogium de inconstantia reprehendisset, ad ægrum conversus; magno clamore; Elephantiasie, inquit, cæno, & luto horride, nec terra digne, nec cælo, nõ desinis injuriam Deo verbis contumeliosis inferre? nescis eum, qui tibi ministrat, Christi vices gerere? Quomodo ausus es contra Christum talialoqui; nam propter Christum ille se talibus erga te obsequiis mancipavit, adeoque illum & simul Christum mordaci tuo sermone lacerasti: dimissis deinde cæteris, ad utrumque reversus, Ne quis veltrûm, inquit, filij, ab altero se separet, sed simul ad cellulam omni angore & rancore deposito remeate: brevî vos Deus ex hac vita evocabit, adeoque hæc ultimâ luctâ exerceri debuistis, ut brevî coronemini; ne ergo aliò migretis, ne si fortè Angelus veniens, vos in eo, quem dixi, loco invenire non possit, utrique coronis fraudemini: ita fecerunt, & Eulogius quidè quadragesimo post die, mendicus verò triduo post è vivis migravit.

